



Graecorum * aliorumque populorum bene moratorum ** consuetudine et legibus turpe erat, duas vel plures in eodem matrimonio simul habere mulieres. Inter Iudaeos quidem non omnino abolita, nec tamen adeo vsitata et vulgaris erat his temporibus polygamia, vt vulgo putatur. Quod vel inde patere arbitror, quod Sospitator noster optimus nunquam eos de polygamia reprehenderit, quod fecerit sane, credo, si multa, eaque publica polygamiae exempla praesto fuissent: praesertim, cum aliam quandam, diuino instituto et mandato aeque repugnantem consuetudinem, quamuis longo vsu inueteratam, hanc nimirum, quod vxores, quarum fastidium maritos ceperat, domo pellerentur, grauissimis verbis castigauerit. Matth. XIX. 9.

§. VIII. Haec sententia II. ita comparata est, vt ad sequiorem sexum non facile applicari possit: quod fieri tamen debebat, cum Paulus Diaconissas, quas PLINIVS latino nomine *ministras* dixit, *** vnus mariti vxores fuisse iubeat. 1 Tim. V. 9. Fac periculum, et applica explicationem tuam huic loco. Nonne, et polyanthiam tunc in vsu fuisse, affirmare cogaris? Non nego quidem, in regno Calechut hunc fuisse quondam, et adhuc hodie fortasse esse morem, vt vna septem viris nupserit et nubat foemina. † Idem fecerint Arabes. Fecerint et antiquiores, CAESARE †† teste, Britanni. Fecerint alii. ††† Nullo tamen modo tum Iudaei, tum Graeci et Romani id fecerunt. At num aequum est, putare, Paulum, diuino spiritu actum, homines suos de flagitio quodam, quod inter paucas tantum gentes, easque barbaras, et ad vltimos vsque terrarum fines remotas committebatur, reprehendisse, eosque, ne in illud, hactenus quidem ipsis inauditum, inciderent, monuisse? Hoc vitia fuif-

* Conf. BRVNINGS antiqu. graec. Cap. VI. p. 88.

** Conf. I. C. GOELENII dissert. de polygamia licita et illicita, p. 18. Germanos olim singulis vxoribus contentos fuisse docet Tacitus.

*** Epist. libr. X. epist. 97.

† Teste LVDOV. ROMANO PATRICIO navig. indic. lib. V. cap. VIII. p. 240. citante SIRICIO l. c. pag. 19.

†† De bell. gall. Libr. V.

††† Vid. IO. HENR. VRSINI analecta sacra. Tom. I. p. 363.